



Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Art. 2. De Conciliis in causa Arianis dogmatis, & personarum huic dogmati
vel consentientium, vel contradicentium celebratis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83594](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83594)

presse asserendo illum non esse paris honoris & dignitatis cum Patre & Filio, sed utroque in erioem, utriusque ministrum & creaturam esse; quam impietatem communem habuit cum Eunomio. Quarta addi potest factio, Politicorum. Hi autem Filium non consubstantialem, non similem per omnia, ac proinde in substantia, sed precise similem predicabant, ut constat ex formula fidei quam Leonæ Comiti obtulit Seleucia Acacius Cæsariensis, & quam recitat Socrates l. 2. c. 40.

ARTICULUS II.

De Conciliis in causa Arianæ dogmatis, & personarum huic dogmati vel consentientium, vel contradicentium celebratis.

Prima contra Arium à S. Alexandro Alexandriae celebrata est Synodus centum fere Episcoporum ex Aegypto & Lybia. In ea damnatus est Arius cum suis gregariis, anathematizatus, & abdicatus, ut patet ex encyclica S. Alexandri epistola, quam refert Socrates, lib. 1. c. 6.

Osus Cordubæ Episcopus, à Constantino Magno ad procurandam Ecclesiæ pacem missus Alexandriam, eodem convocavit alteram Synodum, in qua Colluthus Presbyter, qui sibi munia Episcopalia arrogabat, & Ichyras, qui, ut à Collutho ordinatus, se pro Presbytero habebat, in ordinem redacti sunt, ut narratur in Apologia secunda S. Athanasii. Damnatum etiam est Sabellianum dogma, ut aperte colligitur ex Socrate, lib. 3. c. 7. Damnatum autem est, ut omnis Ario pretextus eriperetur calumniandi Alexandrum, & alios Catholicos, quos recriminandi gratia Sabellianismi accusabat. Unde ibidem damnatum etiam fuisse ipsam Arii blasphemiam, & sententiam, contra illum latam ab Alexandro in priore Synodo, confirmatam, dubitare fas non est. Ario autem non magis huic Synodo, quam priori, morem gerente, & virus suum in dies latius spargente, ad majus remedium recurrendum fuit, & suadente Osio, recurrit piissimus Imperator, ex consensu Silvestri Pontificis Nicæam convocando Synodum generalem, de qua in particulari infra.

Nicænam Synodum, interfectis aliquot annis, subsequutus est conventiculus Antiochenus, in quo S. Eustathius, vir sanctus, & admirabili eloquentia præditus, acerrimus Nicænæ fidei defensor, qui nomine Synodi Imperatorem Nicææ in publico cœtu laudarat, è Sede Antiochena deturbatus est, & in exilium deportatus opera Eusebii Nicomedienfis, inquieti æquæ ac nefarii hominis. Hic magni Eustathii, qui factionem Arianam scriptis suis exagitat, ruinam meditans, Hierosolymitanam peregrinationem suscepit unâ cum Theognide Nicæno, scelus ejus particeps, pretextu invendi fabricam Templi, quod construebatur sumptibus Imperatoris, sed re vera ut cum Eusebio Cæsariensi, & aliis partium illarum Arianis Episcopis contra Eustathium conspiraret. Cum autem, facta conjuratione, reverteretur Hierosolymis, substitit Antiochiæ cum multis Episcopis, inter quos non pauci erant orthodoxi, sed fraudis, quæ parabatur, ignari. Ex occasione velut sese sponte offerente, Eusebii duo convocant Synodum. Meretricula, quam mercede conduxerant Arianis, introducitur; nihil mali suspicantem Eustathium accusat adulterii, & accusationem jurejurando confirmat. Reclamantibus frustra orthodoxis, damnatur Eustathius, & deponitur, atque paulò post jussu Imperatoris, ab Eusebianis circumventi, ab exilium in Illyrico.

Exauctorato Eustathio, qui & depositionem & exilium pacato animo tulit, Sedes Antiochena oblata est Eusebio Cæsariensi: sed eo recusante, ordinatus est Episcopus Euphronius; presbyter Arianus, à quo & successoribus ejus Arianis separarunt se Antiochenes orthodoxi, & conventus suos seorsum egerunt; quia doctrinæ, quam tradiderat Eustathius, addictissimi erant, Eustathiani nominati sunt. Eustathium autem non solum adulterii, sed etiam Sabellianismi accusatum fuisse colligitur ex Socrate, lib. 1. hist. c. 24. ubi etiam narratur tantam ob Eustathii depositionem

Simonne Theol. Tom. I.

exortam esse seditionem Antiochiæ, ut tantum non urbs funditus delata fuerit, quod & innocentem Eustathium, & avaros ejus calumniatores fuisse ostendit.

Anno Imperii sui trigésimo, ac proinde anno Christi 335. Constantinus Synodum, quam ob accusationes contra Athanasium factas, anno præcedente Cæsaream Palestinæ convocarat, Tyri jussit congregari. Adfuerunt ex variis locis sexaginta Episcopi, in quibus erant Confessores tres, Paphnutius, Maximus Hierosolymorum anristes, & Potamo; sed numero prævalebant factioni Arianæ devoti. Præerant duo Eusebii, Nicomedienfis & Cæsariensis. Synodum nomine Imperatoris regebat Dionysius Comes, Arianorum fautor.

Multa per calumniam Athanasio objecta fuerunt crimina, quod mulierculam vi oppressisset; quod Arsenium quemdam, Meletianum Episcopum occidisset, eique brachium amputasset ad magicas operationes; quod consecratum calicem per Macarium Presbyterum confregisset; quod Ichyrum, qui se Presbyterum dicebat, male mulcasset, &c. Plena erant omnia tumultu. Paphnutius, animadversus Eusebianorum nequitia, cum Maximo, quem manu apprehenderat, recessit, ne sederet in concilio malignantium. Potamo crimen idolatriæ, ut narrat Epiphanius, palam exprobravit Eusebio Cæsariensi, qui nil inficiari ausus, pudore suffusus, & ira percitus, conventum dimisit.

Primam & secundam calumniam facile diluit Athanasius, cum ingenti pudore calumniatorum; de reliquis palam appellato Cæsare, cum etiam de vita periclitaretur, clam Tyro egressus, Constantinopolim se contulit ad Imperatorem. Interea absentem damnant Eusebiani, & Episcopatu abdicant hominem innocentem, & veritatis catholicæ vindicem.

Deposito Athanasio, & acceptis ab Imperatore litteris, Eusebiani Hierosolymam profecti sunt, & ibi celebrata Templi, Imperatoris munificentia constructi, dedicatione, Synodum habuerunt, in qua Arium & Euzoium in communionem receperunt, approbata æquivoca illa fidei formula, quam Imperatori obtulerant Constantinopoli, & ad Alexandrinis synodicam hac de re scripserunt epistolam, quæ extat apud S. Athanasium lib. de Synodis. Quo facto Eusebius Nicomedienfis cum aliquot Arianis Episcopis Constantinopolim reversus, novas veteribus calumnias addendo Athanasium oppressit apud Imperatorem, à quo Athanasius jussus est exulare Treviris in Gallia.

Anno Christi 336. Eusebiani Constantinopoli conciliabulum habuerunt, in eaque deposuerunt Marcellum Ancyrae Episcopum, & Galatiæ primatem. Iniquæ hujus sententiæ pretextus fuit, quod Marcus in libro, contra Asterium Sophistam scripto, Sabellii & Pauli Samosatani errores instauraret; quam calumniam jam diluimus.

Anno 339. Constantius, qui Constantino Patri anno 336. successerat, & Orientis imperium obtinebat, Constantinopolim Eusebianorum conciliabulum convocavit, ubi Paulum, qui in sede Constantinopolitana S. Alexandro successerat, abdicari curavit, eoque in exilium missus, Eusebium Nicomediensem Nicomedia Constantinopolim transtulit.

S. Athanasius cum per biennium & menses quatuor Treviris exulasset, Alexandriam anno 338. reversus est, fretus litteris Constantini junioris, liberorum Constantini natu maximi, qui Galliis imperabat. Athanasii reditum impatientissimè tulerunt Eusebiani, querentes quod à Synodo depositus, solo suo nutu & arbitrio Alexandrinam Ecclesiam recuperasset, antequam synodali judicio restitueretur in integrum. Itaque anno sequenti 339. ad Julium Pontificem maximum legatos miserunt, qui Athanasium accularent, sententiæ contra illum in Tyria Synodo latæ confirmationem obtinerent, & Synodum, si opus esset, peterent. Quod ut primum accepit Athanasius, suos quoque Romam missi legatos, qui innocentiam ejus contra adversariorum calumnias defenderent. Ab his semper victi confutatique Eusebiani legati, Synodum postularunt. Annuit

M 2 Julius,

Theod. lib. 1. hist. cap. 29. & 30.

Socr. l. 1. hist. cap. 29. & 31.

Sozom. lib. 2. hist. cap. 23. & 24.

Hier. 55.

An. 335.

Socr. l. 1. c. 33. & 34.

Sozom. lib. 2. c. 27. & 28.

Socr. l. 1. c. 36.

Sozom. lib. 2. c. 23.

Socr. l. 2. c. 6. & 7.

Sozom. lib. 3. c. 3. & 4.

Theod. lib. 1. hist. c. 1. & 2.

Socr. l. 2. c. 8.

Theod. lib. 2. hist. c. 4.

Epist. Julii ad Orientales, apud Athan. apol. 24.

Theod. lib. 1. hist. c. 21.

Theod. lib. 1. hist. c. 22.

Sozom. l. 2. c. 19.

Julius, & legatos à latere, qui Athanasium, & Eusebianos ejus accusatores citarent, misit. Paruit, non expectatis Julii litteris, Athanasius, & Romam venit, ubi post Athanasii adventum integro anno cum sex mensibus transacto, & Eusebianis non comparentibus, anno 341. celebrata est Synodus, cui adfuerunt Episcopi quinquaginta, & Athanasius innocens judicatus, Alexandriam rediit.

Ath. apol. 3.

Athanas. l. de Syn.

Theod. l. 2. hist. c. 6.

Sozom. l. 2. c. 8.

Sozom. l. 3. c. 1. & 6.

Athanas. Epist. ad orthodoxos.

Athanas. Epist. ad Soli.

Athanas. lib. de Syn.

Sozom. l. 3. c. 1.

Sozom. l. 3. c. 6.

Sozom. l. 3. c. 1.

Sozom. l. 3. c. 6.

Sozom. l. 3. c. 1.

Sozom. l. 3. c. 6.

Sozom. l. 3. c. 1.

Sozom. l. 3. c. 6.

Sozom. l. 3. c. 1.

Sozom. l. 3. c. 6.

Sozom. l. 3. c. 1.

Sozom. l. 3. c. 6.

Sozom. l. 3. c. 1.

Sozom. l. 3. c. 6.

Sozom. l. 3. c. 1.

Sozom. l. 3. c. 6.

Sozom. l. 3. c. 1.

Sozom. l. 3. c. 6.

Sozom. l. 3. c. 1.

Sozom. l. 3. c. 6.

Sozom. l. 3. c. 1.

Sozom. l. 3. c. 6.

Sozom. l. 3. c. 1.

Sozom. l. 3. c. 6.

Sozom. l. 3. c. 1.

Sozom. l. 3. c. 6.

Eodem anno, sed ante Romanum Concilium, Antiochia Synodum nonaginta Episcoporum habuerunt, praesente Constantio, Eusebiani, qui iis, quae in Tyrio conventiculo adversus Athanasium gesta fuerant, confirmatis, Episcopum Alexandrinum designarunt Eusebium Emisenum, cui, Episcopatum illum recusanti, subrogatus est Gregorius Cappadox. Gregorium cum ingenti militum manu Dux Sirianus Alexandriam deduxit, & in Sedem Episcopalem intravit. Athanasius verò, cujus caput petebatur, noctu è templo, in quod cum populo convenerat, in media turba elapsus, confugit ad Julium & Constantem, alterum Constantini filium, qui tunc solus Occidentis imperium obtinebat, quia Constantinus junior, cum ei bellum intulisset, in acie ceciderat. Gregorius autem diram Ecclesiae Alexandrinae, eo quod orthodoxi cum eo communicare nollent, persecutionem intulit, & per Phylagrium Praefectum exercuit. Cum autem per sex annos, instar ferre belluae, gregem omni crudelitate vastasset, poenas tandem improbitatis suae dedit, ab ipsis ovibus miserè disceptus, ut narrat Theodoretus loco citato, in eo tamen lapsus, quod sex pro octo posuerit.

His ita contra Athanasium gestis, Eusebiani de abolendo Nicæno Symbolo consilium inierunt, & ad hunc finem tres fidei formulas in Synodo successivè ediderunt, quarta post aliquot menses addita. Huic porò Synodo interfuerunt Eusebius antea Nicomediensis, tunc Constantinopolitanus Episcopus; Acacius, Eusebii Caesariensis, qui jam è vivis excefferat, successor, qui & ejus fuerat discipulus; Petrophilus Scytopolitanus, Theodorus Heracleensis, Eudoxius Germaniciae tunc, postea verò, pulso Macedonio, Constantinopoleos Episcopus; Georgius Laodiceae in Syria, & alii multi Metropolitanarum & illustrium Ecclesiarum Praefules, cum Flaccillo, successore Euphronii, quem Eusebiani, deposito S. Eustathio, in Sedem Antiochenam intruserant. Post hanc autem Synodum non diu superstes fuit Eusebius Constantinopolitanus, & tandem è vivis sublatu est mortalium nequissimus, sed non absque nequitiae suae haeredibus.

Finita Synodo Eusebiani litteras ad Julium dederunt, vana eloquentiae ostentatione, & arrogantia plenas, insuper & querimoniis adversus ipsum Julium, quod judicium de Athanasio & aliis Episcopis ab Orientalibus latum retractare tentaret, & quod cum Athanasio damnato communicaret. Minas addebant, nisi sententia ab ipsis late acquiesceret, se fortiter contradicuros. Litterae à Julii legatis, quos earenus Antiochia detinuerant Eusebiani, allatae, & in Romano Concilio cum omnium audientium indignatione lectae sunt. Causa Athanasii & aliorum Episcoporum, nempe Marcelli Ancyrae, Aclepe Gazae, Pauli Constantinopoleos, & Lucii Adrianopoleos, ab Eusebianis abdicatorum, examinata, eorumque injusta damnatione reiecta, Julius ad Orientales apostolico zelo synodicam rescripsit epistolam.

Hac Julii epistola, & Romani Concilii judicio fretus Athanasius, Alexandriam redierat: sed, ut jam narratum est, cum Gregorius, in ejus locum ab Eusebianis in Antiochena Synodo successus, eodem brevi postea advenisset cum magna militum manu, ut suae & ovium suarum saluti consuleret, fugere coactus, venit ad Constantem Imperatorem. Ariana factionis insidias coram eo deploravit, & apostolicam fidem bello appeti conquestus est, simul Patrem suum in memoriam revocavit, & magnam Synodum, quam ille convocaverat, His auditis, statim ille ad Fratrem litteras dedit, quibus eum hortabatur, ut paterna pietatis hereditatem integram atque inviolatam custodiret; rogavit etiam, ut aliquos ex Orientalibus Episcopis mitteret, qui depositionis

Athanasii & aliorum rationem redderent. Tres igitur ad hanc remissi sunt Episcopi à Constantio, Narcissus Episcopus Irenopolis in Cilicia, Theodorus Heracleae in Thracia, & Marcus Arethusa in Syria, qui cum Athanasio congregari non ausi sunt, & Constanti formulam illam fidei, quam aliquot ab Antiochena Synodo mensibus fabricarant, obtulerunt, & illi justam fuisse adversus Athanasium Orientalium sententiam perluade-
re frustra conati, ad suos redierunt.

Circa annum 345. Eusebiani qui quiescere non poterant, iterum conveniunt Antiochiam, ibique Synodum habuerunt, in qua novam ediderunt fidei formulam, quam *μακρότης*, hoc est, Prolixiorum cognominarunt. Eam autem conscripserunt, ut aiebant, ut omnem de fide sua in Occidentalium animis finitram opinionem deleterent, & calumniam diluerent adversariorum suorum, hoc est, Athanasii, & aliorum, quos injustè abdicarant, Episcoporum, asserentium illos malè de Christo sentire. Quare formulam per Eudoxium Episcopum Germaniciae, Martyrium, & Macedonium Mopsuestenum miserunt ad Occidentales Episcopos, à quibus rejecti sunt: responderunt enim Occidentales se decretis Synodi Nicænae contentos esse, nec praeerea quidquam curiosius esse inquirendum.

Anno à Constantini obitu undecimo, hoc est, anno 347. Constans & Constantius convocarunt, annuente Julio Pontifice maximo, Synodum generalem Sardicam, Occidentalis Imperii urbem, Illyrici, Mysiae, & Thraciae confinem. Convocandae Synodi causa fuerunt repetitae Eusebianorum querimoniae de Athanasio, Marcelli Ancyrae, Pauli Constantinopolitani, & Aclepe Gazensis absolutione, & restitutione facta à Julio Pontifice in Romano Concilio. Constans igitur, qui earenus, id beneficii loco à Fratre postulando, ut Athanasium in Sedem suam restitueret, nihil profecerat, ad eundem Fratrem, suadente Athanasio, & Julio consentiente, scripsit de convocanda Sardicam Synodo oecumenica, ad causam Episcoporum ab Eusebianis damnatorum retractandam, & tandem aliquando finitendas Eusebianorum querelas. Annuit Constantius, Sardicam conveniunt orthodoxi Episcopi plus minùs trecenti. Adfuerunt etiam, judicium Episcoporum libenter subituri, Athanasius, Marcellus, Aclepas, & alii ab Eusebianis iniquè damnati. Paulum quoque Constantinopolitanum adfuisse scribunt Socrates & Sozomenus, sed potius credendum est Theodoro, asserenti populum Constantinopolitanum, insidias Eusebianorum Episcopo suo metuentem, passum non esse, ut Sardicam abduceretur; praesertim cum nulla illius expressa mentio fiat in Synodica ad omnes Catholicae Ecclesiae Episcopos, scripta à Sardicensi Synodo, neque in Epistola ejusdem Synodi ad Julium.

Synodo praesuit magnus Osius, cum Archidamo & Philoxeno Presbyteris, à Julio missis, Retractata est causa Athanasii, Marcelli & Aclepe, qui & innocentes declarati sunt, & in Sedes suas restituti. Prohibitum fidelibus, ne Gregorium, qui Alexandrinam, Basilium, qui Ancyranam, & Quintianum, qui Gazensem Ecclesiam invaserant, Episcopos nominarent, ullamve cum illis communionem haberent, vel eorum litteras recipere, aut vicissim mitterent. Theodorus Heracleae, Narcissus Irenopolis, Acacius Caesareae, Stephanus Antiochiae, Menophantus Ephesis, Ursacius Singiduni, Valens Mursa, & Georgius Laodiceae excommunicati & depositi.

Scribit Sozomenus eodem tempore aliam fidei formulam editam fuisse à Patribus Sardicensibus, pluribus quidem verbis scriptam, quam quae in Concilio Nicæno edita fuisset; sed tamen eandem complectentem sententiam, & verbis non multum ab illa discrepantem, &c. Item Theodoretus refert fidei formulam, insertam epistolae à Sardicensi Synodo ad totius orbis Episcopos scriptae. Sed potius audiendi sunt Patres Concilii Alexandrini, cui praesedit S. Athanasius anno 362, qui fuit à Sardicensi Synodo decimus quintus. Hi enim melius norant acta in Sardicensi Synodo, quam illi, qui ab istius Synodi aetate longo intervallo abfuerunt.

Sic

Sozom. l. 1. c. 10.

Athanas. l. de Syn.

Sozom. l. 1. c. 10.

Athanas. l. de Syn.

Sozom. l. 2. c. 19.

Sozom. l. 3. c. 11.

Sozom. l. 3. c. 11.

Sozom. lib. 3. cap. 11. & 12.

Theod. l. 2. hist. c. 7. & 8.

Epist. Sard.

Syn. apud Athanas. apol. 2.

Athanas. Epist. ad Soli.

Lib. 2. hist. cap. 1.

Apud Athanas. apol. 2.

Apud Hilari frag.

Epistol. Syn. apud Athanas. apol. 2.

Sozom. l. 3. cap. 12.

Lib. 3. c. 12.

Lib. 2. hist. c. 8.

Apud Athan. Sic autem in sua ad Antiochenſes epiſtola loquuntur Patres Alexandrini, quorum etiam aliqui Sardicæ adfuerant: *Tabellas, quas nonnulli ſolent, quaſi in Sardicenſi Synodo de fide conſcriptas, ne legi quidem ſemel, aut proferri ſinatis. Nihil enim tale Concilium deſignavit. Quamvis certi homines nonnulla, quaſi qua deſſent Nicæno Concilio, adſcribere vellent, idque acriter contenderent, ſancta tamen Synodus, qua Sardica convenit, indignè id tulit, decretoque ſancivit, ne quid ulterius de fide ſcriberetur, & ſeſe contentos eſſe Nicæna fide declaraverunt; ut cui nihil deeſſet, & in qua integra & ſolida pietas contineretur; neque edendam eſſe aliam profeſſionem fidei, ne illa, qua Nicæa ſcripta eſt, ſuos numeros non habere videretur, neve illis, quibus libido eſt ſemper nova ſtatueretur, occaſio huiusmodi ſuppeditaretur, ut iterum atque iterum de fide deſiniant. Quod adhuc expreſſe teſtatur, & confirmat Euſebius Vercellenſis ſubſcribendo huic epiſtolæ. Pro certo igitur ſtatuendum eſt, nullam novam fidei formulam à Sardicenſi Synodo editam fuiſſe.*

Apud Hilari. Aliquam tamen difficultatem habent Patres Sardicenſes in ſua ad Julium Epiſtola: *Permiſerunt religioſiſſimi Imperatores, ut de integro univerſa diſcuſſa diſputarentur, & ante omnia de ſancta fide, & de integritate veritatis, quam violaverunt Euſebiani. Sed ſatisfit, ſi dicatur quaſiſſimum quidem fuiſſe in Synodo, utrùm expedit novam ampliorem fidei formulam condere ad maiorem Nicæni Symboli explicationem, & Patres magno conſenſu, paucis contradicentibus, reſponſiſſe, Nicænam fidem ſufficere, nec opus eſſe nova ampliorem formulam. In quo prudentiſſimè ſeſe geſſerunt Patres Sardicenſes: in illis enim circumſtantibus novam ampliorem fidei formulam edendo, elevaſſent authoritatem Symboli Nicæni, infirmis in fide ſcandalum, & Euſebianis triumphandi anſam dediſſent, atque Nicænam fidem explodendi ut inſufficientem, vel etiam correctione indigentem, etiam ipſo defenſorum illius iudicio. Præterea orthodoxi, Nicæna fide contenti, novam fidei formulam non poſtulabant, nec nova amplior & explicatior fidei formula ſatiſſeſſet hominibus inquietis, & malè erga fidem affectis, atque nunquam, niſi ſuppreſſo Conſubſtantiali, quieturis.*

Apud Athan. Hanc porro Sardicenſem Synodum œcumenicam fuiſſe convocacione tantum, non celebratione & exitu, perperam contendunt recentiores nonnulli. Non enim tantum ex toto orbe convocata eſt, ſed etiam ex toto orbe adfuerunt Epiſcopi, nec ſolum adfuerunt Epiſcopi ex Occidentali imperio, ſed etiam ex Orientali magno numero, ut patet ex inſcriptione epiſtolæ huius Synodi ad Alexandrinos, & ex ſubſcriptionibus alterius epiſtolæ Synodi ejuſdem ad omnes Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopos. Fallum igitur eſt quod ajunt, omnes Orientis Epiſcopos ante celebrationem Concilii divortium feciſſe, & Philippopolim ſeceſſiſſe. Et verò ſeceſſerunt ad ſummum 80. numero Epiſcopi Patriarchatus Antiocheni, ut conſtat ex eorum epiſtola ſynodica; qui quia abſque legitima cauſa ſeceſſerunt, & erant omnes hæretici, vel hæreticorum partibus addiſti, turpi fuga ſua impedire non potuerunt, ne Sardicenſe Concilium eſſet œcumenicum.

Apud Hil. Fallum quoque eſt quod dicunt recentiores illi, Sardicenſi Synodo adfuiſſe tantum Epiſcopos 80. Nam 1. S. Athanaſius in ſua ad Solitarios epiſtola, teſtatur Epiſcopos, ex pluribus quàm triginta quinque provinciis Sardicæ congregatos, ſibi cum ſuis, ut cauſam diceret, permiſiſſe. At quis credat 80. tantum Epiſcopos ex pluribus quàm triginta quinque provinciis collectos fuiſſe? 2. Euſebiani in ſua Philippopolitani Conciliabuli epiſtola ſynodica, ſcribunt immenſam multitudinem Epiſcoporum de Conſtantipoli & de Alexandria Sardicam confluxiſſe, eoſque omnes ſecum collectos in ſuo Concilio Oſium & Protogenem habuiſſe. At, quaſo, an non immedia illa Epiſcoporum multitudo, ex Orientali Imperio collecta, & conjuncta cum Occidentali partium Epiſcopis, numerum octogenerium ſuperavit? 3. S. Athanaſius Synodum Sardicenſem magnam Synodum appellat in apolog. 2. exordio.

Simonet Theol. Tom. I.

At magnamne appellaret Synodum 80. tantum Epiſcoporum? 4. An credibile eſt Euſebianos, homines audaciſſimos, cum ipſiſſime eſſent numero 80. alios 80. Epiſcopos tantoperè reformidaturos fuiſſe, ut ſeſe clam turpi fuga ſubducerent? 5. Sardicam ducentos & quinquaginta Epiſcopos conveniſſe, idque antiqua monumenta teſtari ſcribit Theodoretus lib. 2. hiſt. c. 7. Socrates verò refert lib. 2. cap. 20. trecentos circiter conveniſſe, pro quo citat Athanaſium. Unde quod legitur in Athanaſii ad Solit. epiſtola, *Convenit igitur ab Oriente & ex Occidente in urbem Sardicam numero plus minus centum Epiſcopi*, mendosum eſt in antiquioribus editionibus, & in recentioribus melius reſtitutum, ubi legitur, *plus minus ter centum Epiſcopi*, atque ita olim legiſſe Socratem dubium eſſe non poteſt.

A veteribus autem nonnullis, ut Hilario & Epiphano, Concilium Sardicenſe Concilium Occidentalium vocatur, tum quia Sardica erat urbs Occidentalis Imperii, tum quia Occidentales in hoc Concilio numero ſuperiores erant Orientalibus; tum denique & maxime, ad veram Sardicenſem Synodum à pseudo-Sardicenſi, ſeu à Philippopolitano Conciliabulo, quod fuit Orientalium tantum, diſtinguendam. Addi poteſt Orientalium nomine propriè intellectos tantum fuiſſe Antiocheni Patriarchatus Epiſcopos, qui re vera Sardicæ divortium fecerunt, & cum aliis Epiſcopis convenire detrectarunt.

Dices. Conſtantinopolitana Synodus, in qua damnatus eſt Macedonius, ſecunda numeratur inter œcumenicas, prætermiſſa Sardicenſi. R. Sardicenſem Synodum comprehenſam fuiſſe à veteribus ſub nomine Nicæna, velut quandam illius appendicem, tum quia contenta fuit Nicæno Symbolo, nec aliam, aut explicatorem fidei formulam edere voluit; tum quia convocata fuit, ad retractandam cauſam Epiſcoporum, qui ob Nicæna fidei deſenſionem depoſiti fuerant ab Euſebianis, & vexati. Hinc Canones Sardicenſes ſub nomine Nicænorum Canonum à veteribus Pontificibus citati fuerunt.

Oſio cum aliis orthodoxis Epiſcopis, qui Sardicæ conveniant. Synodum celebrante, Euſebiani numero 80. Philippopoli urbe Thraciæ, qua Orientalis erat Imperii, & in quam Sardica confugerant, divortii & fugæ ſuæ occaſione arrepta ex eo quod Oſius, & Epiſcopi, qui cum illo erant, ab Athanaſio & aliorum, ab Orientalibus damnatorum, communione abſtinere nolent, conventiculum ſuum habuerunt, eumque, ut ſimplicibus illuderent, Sardicenſis Concilii nomine ingniverunt. Ibi autem damnato iterum Marcello Ancyrano, Paulo Conſtantinopolitano, Aſclepa Gazenſi, confirmatis in Tyria Synodo contra Athanaſium actis, Oſio, Protogene, Gaudenio, Maximino Trevirenſi, & ipſomet Romano Pontifice Julio excommunicatis, encyclicam ſcripſerunt epiſtolam, mendacii & calumniis reſertam, cui novam fidei profeſſionem ſubjunxerunt.

ARTICULUS III.

De aliis Synodis poſt Sardicenſe Concilium celebratis, & aliquaratione ad eandem cauſam pertinentibus.

Anno Chriſti 347. poſt Sardicenſe Concilium celebratam eſſe Mediolani Synodum, in qua damnati ſunt errores Photini, ipſeque Photinus fidelium communione, donec reſiſciſſet, privatus eſt, docent recentiores, quibus facile aſſentior, propter authoritatem S. Hilarii, qui in frag. 2. ſic loquitur: *Ad tollendum ex Epiſcopatu Photinum, qui ante biennium jam in Mediolaneſi Synodo erat hæreticus damnatus, ex plurimis provinciis congregantur Sacerdotes. . . . Quam opportunitatem naſti Urfacius & Valens, Romane plebis Epiſcopum adeunt, recipi ſe in Eccleſiam deprecantur, & in communionem per veniam admitti rogant, &c.* Hæc autem Synodus, quam dicit Hilarius ad deponendum Photinum ex plurimis provinciis convocaram fuiſſe, & ex qua opportunitatem naſti Urfacius & Valens Romanum Pontificem adierunt, ut Eccleſiæ reconciliarentur, celebrata